



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011860X**

§. 33. Reatini Episcopi oratio contra Calicis concessionem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

Sæcul. XVI.  
A.C. 1562.

„revocandos : quare monitum Apostoli  
„servandum censeo: *excipite eum, qui est*  
„*infirmus in fide:*., Huic Præsuli confen-  
fere Robureus, Salas, & Mocenigus,  
qui ejusdem Apostoli exemplum addu-  
xere, circumcisionem Timotheo permit-  
tentis.

## §. XXXIII.

*Reatini Episcopi oratio contra Co-  
licis concessionem.*

Pallav. t. 4.  
n. 17.

Inter eos, qui ejusmodi concessionem  
impugnabant, prolixiorem sermonem  
declamabat Joannes Baptista Osius Reati-  
nus Episcopus, qui præprimis demon-  
strabat, eam semper Ecclesiæ consue-  
tudinem fuisse, ut nil omnino hæreti-  
corum erroribus indulgeret: „eapro-  
„pter, inquit ipse, cum quidam Ju-  
„dæi ad Christi fidem conversi quos-  
„dam veteris legis ritus adhucdum ob-  
„servandos contenderent, mox Apo-  
„stoli illorum usum inhibuerunt, atque  
„abrogarunt, quinimo ne vel ullum eo-  
„rum vestigium in illis deprehendere-  
„tur, præceperunt, ut Christiani suos  
„cœtus non in die Sabbati, sed Domi-  
„nica agerent. Præterea dum Nestor-  
„rius docuerat, Mariam non Dei, sed  
„Jesu Matrem esse, illico a Concilio,  
„quod adversus hunc hæreticum cele-  
„brabatur, fuit præscriptum, ut ea Dei  
„Mater



„Mater appellaretur: insuper in qua-  
 „dam e Synodis Toletanis, quam refert Sæcul. XVI.  
A.C. 1562.  
 „Gratianus, ut iretur obviam errori  
 „Donatistarum, qui Baptismum iteran-  
 „dum tradebant, interdictum fuit Ca-  
 „tholicis Magni Gregorii auctoritate,  
 „ne quis infans ter, quod prius in eo  
 „Sacramento licitum erat, immergere-  
 „tur, ut hac ratione etiam omnis spe-  
 „cies Baptismi iterati amoveretur. Pa-  
 „riter cum Bohemi usum Calicis jure  
 „divino præceptum contenderent, Con-  
 „stantiense Concilium illius usum pro-  
 „hibuit; necesse igitur est, ut Triden-  
 „tina quoque Synodus sese ejusmodi  
 „errori opponat, ac nequaquam Ger-  
 „manis Calicis usum concedat, sed po-  
 „tius omnium præcedentium Conci-  
 „liorum normam sequatur: minime au-  
 „tem in exemplum adduci potest Ba-  
 „sileense Concilium; funesta enim ex-  
 „perientia compertum exstat, quod ex  
 „Calicis usu, quem hæc Synodus con-  
 „cesserat, Ecclesia adeo nullum haufe-  
 „rit emolumentum, ut ex adverso hæ-  
 „retici exinde nonnisi magis petulan-  
 „tes evaserint. Ego quidem minime  
 „dubito, quin Cæsar ad petendum Ca-  
 „licis usum pia voluntate inductus sit, ei-  
 „dem tamen inculcandum, demonstnan-  
 „dumque est; quod ejus petitio ipsius-  
 „met conditionibus plurimum noceret. „  
Deni-



**Sæcul. XVI.** Denique Legatos rogabat, ne horum  
**A.C. 1562.** suffragia respicerent, qui a principio  
 rem ad Pontificem referendam censue-  
 rent, eo quod confuse sententiam suam di-  
 xissent: suffragiorum ergo potius delectus  
 habeatur, sicuti aliis vicibus factum,  
 curandumque, ut diserte singuli *ita, vel  
 non* respondeant, subdolis, artificiosisque  
 rationibus omisis, quibus nonnulli ad  
 complacendum, offensionemque vitan-  
 dam in aliis occasionibus utebantur.

## §. XXXIV.

*Rationes immoderate cujusdam Ca-  
 nonicorum Regularium Abbatis.*

*Pallav. c. 4.  
 n. 18. & 19.  
 Sarp. p. 551.*

**H**æc oratio Joannem Muvantonium  
 Ord. S. Augustini Religiosum, Se-  
 goviensem Episcopum, ac Hispani Prin-  
 cipis Moderatorem tantopere convince-  
 bat, ut palam profiteretur, quod quidem  
 a principio existimasset, calicis gratiam  
 non esse negandam, ex quo tamen audi-  
 verit Episcopum Rheatinum, ad exo-  
 nerandam conscientiam, de priori sen-  
 tentia se recedere, & negantium par-  
 ti ad stipulari dicebat, ac Concilium ad-  
 monebat, ut in hac causa sedulo dispi-  
 ciat, ne tunc, dum Cæsareæ Majesta-  
 tis desideriis parum provide satisfacere  
 nititur, aliis Principibus creet præjudi-  
 cium; ceterum ulterius adhuc progredie-  
 batur Richardus Vercellensis Cano-  
 nicus